

prietates kalendas possumus dicere. Verum quia apud Hebraeos mensis secundum lunam cursum super
 putatur: & apud graecos dicitur quasi luna noua appellatur autem
 desertum vel solitudinem significat. Thronus vel sedem vel solium ut diximus noctu-
 am non ut latini interpretati sunt musca canina dicitur per. y. graecam
 litteram. Sed iuxta hebraicam intelligentiam: per. oi. debet scribi: vt sit id est. om-
 ne genus muscarum. Sed Aquila omnimodam muscam interpretatus est.
 pro quo latinis asciam vertit. Nos genus ferramentum interpretati sumus quo lapsi
 des dolantur. Denique ex hebraeo vertentes ita diximus: & nunc sculpturas eius pariter bipenni-
 que & dolatoris deraserunt ergo dolatorium dici potest.

Beati Damasi pape ad sanctum Hieronymum presbyterum petentis psalterium secundum editionem
 Septuaginta interpretum conuerti atque emendari: **EPISTOLA LXXIII**

Damasus episcopus fratri & copresbytero Hieronymo in domino salutem. Dum mul-
 ta corpora librorum in meo arbitrio oblata fuissent: contigit vt librum psalmodum
 meo animo festinus cognoscerem detineri: & memoriae capacitatis meae imbuti cogi-
 tatu. Frater amatissime & in Christo semper sacerdos: rogo te vt secundum Septuaginta in-
 terpres: id est Matthiam & Ptolemaeum: Didymum: Sauium: Epiphanium: Cyathum: Simonem & ceteros
 in quantum vestra potuerit conscientia: de Septuaginta inuenire vestigia nobis transmittatis. Peto
 item charitatem tuam: vt sicut Alexandrum coepiscopum nostrum docuisti in gremio graecorum psallere:
 ita nos tua fraternitas dirigere delectet: quia tantae simplicitatis indagatio est apud nos: vt tamen in die
 dominica apostoli epistola vna recitetur: & euangelij capitulum vnum dicatur: & nec psallendi mos
 tenetur: nec hymnicus in nostro ore cognoscitur. Peto ergo per fratrem & conpresbyterum no-
 strum Bonifacium: vt iubeat fraternitas tua rei huius nobis aperire vestigium. Missa quinto ka-
 lendas nouembris per Bonifacium presbyterum Hierosolymitanum.

Beati Hieronymi presbyteri ad sanctum Damasum papam responsiva: vbi suggerit de Glo-
 ria patri & Alleluia in fine psalmodum apud Romanam ecclesiam concinnando. **EPI. LXXIII.**

Beatisimo pape Damaso sedis apostolicae urbis Romae Hieronymus supplex. Legi-
 literas apostolatus vestri poscetes: vt secundum simplicitatem Septuaginta interpretum ca-
 nes psalmographum interpretari festinet: propter fastidium romanorum: vt vbi obscuritas impe-
 dit: aptius & latine trahat sensus. Precor ergo cliens tuus: vt vox ista psallenti in sede ro-
 mana die noctuque canatur: & vt in fine cuiuslibet psalmi: siue matutinis horis: siue vespertinis con-
 iugiter praecipiat apostolatus tui ordo: Gloria patri & filio & spiritui sancto: Sicut erat in principio &
 nunc & semper: & in saecula saeculorum amen. Istud carmen omni psalmo coniungi praecipias: vt fides
 cccxviii. episcoporum Niceni concilij etiam vestri oris consortio declaret. Vbi autem deus & homo
 honorabiliter voce cantatur: alleluia semper cum omnibus psalmis affigatur: vt in omni loco communiter re-
 spondeatur nocturni temporis. In ecclesia autem post resurrectionem vsque ad sanctum pentecosten fi-
 niam. Inter diem vero spatia quinquagesimae: propter nouitatem sancti paschae vox ista laudis cana-
 tur in aleph: quod prologus latine aut praefatio dicitur.

Beati Hieronymi ad Paulam & Eustochium de psalterio quod rursus secundum Septuaginta editionem
 correxerat: addita ab illis vel ex hebraeis obelis asterisque distinguens. **EPI. LXXV.**

Psalterium Romae dudum positum emendatum: & iuxta Septuaginta interpretes: licet cur-
 sum magna ex parte correxeram: quod quia rursus videtis o Paulam & Eustochium scri-
 ptorum vicio deprauatum: plusque antiquum errorem quam nouam emendationem vale-
 re: cogitis veluti quodam nouali scissum iam aruum exerceam & antiquis sulcis rena-
 scentes spinas eradicem: aequum esse dicentes vt quod crebro male pullulat: crebrius succida-
 tur. Vnde consueta praefatione comoneo tam vos quibus forte labor iste defudat: quam eos qui ex-
 emplaria istiusmodi habere voluerint: vt quae diligenter emendauit: cura & diligentia transcri-
 bant: notet sibi vnusquisque vel iacentem lineam: vel signa radiantia: id est. vel obelos vel asteri-
 cos. Et vbi cumq; viderit virgulam praecedentem: ab ea vsque ad duo puncta quae impressimus:
 sciat in Septuaginta interpretibus plus haberi. Vbi autem stellae similitudinem perpexerit: de
 hebraeis voluminibus additum nouerit aequae vsque ad duo puncta: iuxta Theodotionis dumtaxat
 editionem: qui simplicitate sermonis a. lxx. interpretibus non discordat. Haec ergo vobis & studi-
 oso cuique fecisse me sciens: non ambigo multos fore: qui vel inuidia: vel supercilio malint contemne-
 re videri praecleara: quam discere & de turbulento magis riuulo quam de purissimo fonte potare.

Beati Hieronymi ad Sophronium de noua editione Psalterij secundum hebraicam veritatem: vbi om-
 nium psalmodum vnicum testatur esse volumen. **EPI. LXXVI.**